

proxima pugna concussæ fuerant, refarcirentur. Ea Lauretano aliquanto tardius data, ob alteram classem quam paucis ante diebus Patres ad Chium Genuensium insulam oppugnandam miserant. Habuit classis illa onerarias naves decem, triremes vero quatuordecim, ac minora alia navigia, quibus Andreas Mocenicus præfectus est. Is, navibus ad insulam admotis, oppidum ejusdem nominis in ea munitissimum terra marique obsidione cinxit: quod machinis aliisque operibus bellicis duos & amplius menses oppugnatum (quia valido tenebatur præsidio) capi non potuit. Constans interim fama erat, vim navium ingentem Genuæ parari, multosque ad id milites longa obsidione sibi deesse Mocenicus sentiebat: quia omnino inde abire in animo erat, ne nihil actum videretur, quod reliquum in insula fuit, iratus Venetus fœda populatione vastavit, vinetis fœlicibusque arboribus passim succisis. Ante Hadriaca classis inde abducta est, quam ex Genua subsidia ulla venissent. Audito Venetorum digressu, triremes aliquot cum paucis onerariis per hyemem in insulam hostes misere. Æstate, quæ secuta est, validior omnino classis, Petro Spinula præfecto, domo est profecta, quæ onerarias naves habuit quatuordecim, triremes septem, cum octo bellatorum millibus. Ad primam illius famam Veneti & ipsi classem, quæ Corcyræ erat, majorem in modum auctam, ita ut trium supra triginta navium sit numerus expletus, Genuensium conatibus opposuere. Movit Lauretanus ex insula, ac mira celeritate, dum hostis Trinacriæ oram legit, Siculo freto superato, ad Liburnium, unde paucis ante diebus Ligur profectus erat, confedit. Spinula & ipse ocius quam ullius expectatio esset, circa Corcyram conspectus, ingentem curam civitati attulit insulæ præsidio muniendæ. Pro magno itaque negotio Patres habuere, Lauretano per literas significare, in quanto discrimine Corcyrensiū res essent, ni maturo aliquo subveniretur præsidio. Ille periculi admonitus, sex lectissimas ex omni classe triremes eo ad præsidium misit: